



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Ad Lectorem Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)



AD LECTOREM
P R Æ F A T I O.

ANte Septennium, cum Tre-
viris in Collegio Nobilium
& Seminario Archi-Episco-
pali sacros interpretarer Canones,
cœpi annotare quædã, quæ expedi-
torem aditũ Juris utriusq; Candi-
datis ad scientiam sacrorum Cano-
num plenius acquirendam præbe-
re possent. Illa subsecivo subinde
aucta studio nactus hac æstate plus
ocii Osnabrugi in ordinem aliquẽ,
& hunc, quem cernis, Benevole,
Lector, libellum digessi, qui veluti
Prodromus & Anteambulo tam
profani, quam sacri Juris Studiosis
facem præferat, ut sine offendicu-
lo ad intima scientiæ hujus arcana
penetrare, & sacrosancta ejus my-
steria *non illotis*, ut ita dixerim cum
Gajo JurisConsulto *l. i. ff. de Orig. jur.*
manibus tractare possint. Operam,
licet non oleum, cujus Æstivis
his



his Mensibus nullus in lampade fuit
usus, perdidisse me in concinnan-
do hoc opere existimarem, nisi
persuasum haberem, me bonas ho-
ras hoc studio non male perdidis-
se, & fore non paucos ex cupidâ
Legum juventute, aliisque sacra-
tiorum literarum cultoribus, qui
libellum hunc, quem *Introductio-
nem ad Jus Canonicum* appello, gra-
to obtutu excepturi, & perlectum
benevolo porrò affectu profecutu-
ri sint. In hanc me opinionem ad-
ducit dignitas & usus sacrorum
Canonum, ad quos intelligendos
introductio hæc subservit. Est
namque scientia Canonica cætera-
rum omnium post Theologiam,
præstantissima, & ad Regimen
Ecclesiæ apprimè necessaria; Per
hanc enim in Monarchia Ecclesia-
stica ritè ordinatur Politia, Pax &
Justitia floret, controversiæ in fo-
ro sacro justa ratione decernun-
tur, cultus DEO debitus provehi-
tur, fidei morumque puritas indu-
citur,

citur, & salus demum animarum promovetur. Quæ ut pluribus hic confirmem, superfluum esse judico, cum satis per se constant, & ex infradicendis de præstantia Juris Canonici clarè patebunt. Id vero in vestibulo hujus libelli à me requiri puto, ut totius Operis ordinem & œconomiam ab oculos Lectori ponam; Quam ergo sic accipe:

Potissima pars cujusq; rei principium est, inquit Gajus l. c. Principium vero in addiscendis artibus & scientiis est nosse, unde nomen suum, fortitæ sint, quæ earum definitiones, quæ partes, origo & processus; Nam & Ulpianus inquit l. i. ff de just. & jur. Furi operam daturum prius nosse oportet, unde nomen Juris descendat. Et Cicero l. i. offic. Omnis quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur, de quo disceptatur. Cognitis quoq; partibus scientiarum cognoscitur earundem perfectio & excellentia, cum in omnibus rebus id perfectum sit,
quod

quod ex omnibus suis partibus constat ;
 Ut rectè idem Gajus *l.c.* Quapropter
 prioribus tribus capitibus Juris &
 Justitiæ Etymologia , definitio &
 divisio proponetur. Deinde dicetur
Capite 4. in quas partes Jus Cæsa-
 reum dispertiatur , & quomodo li-
 bri illius ab Auctoꝛibus citentur.
 Tum *Capite 5.* Juris Canonici de-
 finitio & præstantia exponetur ;
 Ac subinde quinque capitibus dif-
 ferentiæ illius à Civili ordine li-
 brorum Decretalium ostendentur ,
 ut videant uno quasi obtutu Juris
 Alumni , in quibus Jus Civile ab
 Ecclesiastico emendatum sit. Sub
 hæc *Capite 11.* Origo & incremen-
 tum Juris Canonici adductis variis
 variorum collectionibus , & Cano-
 num Compilationibus ob oculos
 ponetur. Postea detegentur fontes
 ac principia Juris hujus Ecclesiasti-
 ci ; Ac *Capite 12.* perlustrabitur fons
 primus , nimirum S. Scriptura de-
 clarando , quæ ejus sit Auctoꝛitas ,
 & an præcepta illius omnes mor-
 tales



tales obligent; Subjungetur quoque
quam vim obligandi habeant Tra-
ditiones. Postmodum *Capite* 13. tra-
ctabitur de Conciliis, ex quibus
tanquam secundo fonte quamplu-
rimae profluxerunt Leges Ecclesia-
sticae; Et cum cognitio Concilio-
rum magnum afferat lumen Juris-
prudenciae studiosis, exponetur
Generalium Conciliorum Aucto-
ritas, & qua forma ac methodo ne-
gotia in iis pertractentur. Subinde
Capite 14. Compendiosa eorundem
Canonumque in iis contentorum da-
bitur descriptio; Tum etiam *Capite*
15. dilucidabitur, an Concilium Ge-
nerale sit supra Papam, & *Capite* 16.
an id errare possit in fide. Cum ve-
ro nonnulla Concilia generalia par-
tim probata, partim a Pontificibus
rejecta sint, subjungetur *Capite* 17.
eorundem series & gesta, ne sacro-
rum Canonum studiosi in errorem
inducantur, putentque probatum es-
se aurum omne, quod ex ejusmo-
di fodinis eruitur. Post Generalia
agetur

agetur de Conciliis particularibus
Capite 18. exponeturque eorum di-
 visio, auctoritas, & quis modus res
 in iis tractandi observandus sit.
 Postea aperietur *Capite* 19. fons ter-
 tius Juris Canonici ageturque de
 Constitutionibus Pontificiis, Bul-
 lario, & Responsis particularibus
 Sedis Apostolicæ. Sub hæc expo-
 nemus *Capite* 20. quam habeant Au-
 thoritatem Sententiæ Ss. Patrum,
 quibus tanquam ex quarto fonte,
 promanantibus Jus Canonicum au-
 getur. Et *Capite* 21. an & quam vim
 habeant obligandi Ecclesiasticos
 Placita Principum sæcularium, quæ
 quintum Juris Pontificii fontem
 constituere dicimus. His explana-
 tis ad ipsum Corpus Juris Canonici
 accedemus divisionem ejusdem, &
 partes singillatim exponendo. Et
 quidem *Capite* 22. de Decreto Gra-
 tiani & Paleis; *Capite* 23. de Decre-
 talibus Gregorii IX. *Capite* 24. De
 libro Sexto Decretalium, Clemen-
 tinis & Extravagantibus, ac de-
 mum



is
i-
es
t,
c-
le
l-
as
o-
i-
t,
l-
i-
n
os
æ
n
a-
ci
&
lt
i-
e-
de
i-
e-
n

mum *Capite 25.* de Septimo Decretalium tractabimus, singularum partium Auctores, auctoritatem, libros, & quomodo hi citentur, summam declarando.

Hæc est, Candide Lector, Introductionis hujus Oeconomia, in qua si quid correctione dignum deprehenderit, ignosces, & si vacet, corriges memor humanum esse errare lapsumque opinionis & calami, si abfuerit obstinatio, malitia & negligentia veniam mereri. Si quid vero excidisset orthodoxæ fidei probisq; moribus minus consonum, id omnino à me nec dictum, nec scriptum velim, omnia subijciendo judicio S. Romanæ Ecclesiæ.

Cum vero Scriptorum omnium, Legum Canonumque vel maxime peritorum sit laudatissima consuetudo aliena suis immiscere, tum ut præeuntibus gnaris viæ Ducibus securius incedant, tum ut operibus suis alienis gemmis splendorem concilient; Ideo & ego argumento-
sam



sam imitatus apiculã, quæ jam hunc
jam istum florẽ delibat, ex variis iis-
que probatissimis Auctoꝛibus con-
gessi ea, quæ ad hoc meum propo-
situm pro usu studiosæ in Jure Ju-
ventutis facere existimavi. Si quis
vero Aristarch⁹ ad hæc corrigaverit
frontem, & scripta mea aliis lanci-
nanda projecerit, hunc equidem
non moror, memor illius Solonis:

Πᾶσι ἀδεῖν χαλεπόν.

Cunãtis complacuisse grave est.

Et quod Ecclesiastes ait: *Omnes la-
bores hominum & industrias patere in-
vidia proximi.* c. 4. v. 4. Mihi satis est,
Amice Lector, si tu aliquem ex
hoc meo labore fructum percepe-
ris, sic namque cum Salomone di-
cam: *Quoniam non soli mihi laboravi.*
Eccles. c. 24. v. 47. Osnabrugi 28. Aug.
die S. Augustino Sacro. 1691.

ELENCHUS